

/ Jampridem (Illustriss. et Reverendiss. Cardinalis) ex Apollinari  
Sidonio intellexeram hymnum de Sanctiss. Cruce Domini trochaicum purum  
Pange lingua gloriosi / Proelium certaminis, etc  
à Claudiano Mamerto Mamerti Viennensis Episcopi fratre, contra Cle-  
5 mentem Fortunatum plagiarium posse vindicari; qua de re, cum multos  
pietate et doctrina viros graves, dignitate in Ecclesia praecellen-  
tes convenissem, nec eorum quisquam misertus, miseris auxilium fer-  
ret: mihi, haud secus ac peregrino transeunti, non indecorum tamen  
visum est, vulnera haec omnia oleo et vino nostris qualibuscumque  
10 perungere: nimirum hoc est quae hymno in eo deleta, quae immutata,  
quae supposita, quae superinducta contra L. Cornel. de Falsis essent:  
tibi uni (nobis instar omnium summo inter ecclesiasticos scriptori,  
supremo censori) indicare, meque supplicem a te petere, ut si haec  
nostra probaveris, summam eis manum (tu Cardinalis doctiss.) adhibe-  
15 as: et si nova a summo Pontifice Breviarii Rom. jubeatur impressio,  
te auctore, hymnus hic elegantiss. antiquiss. ipsa impressione emen-  
detur (quod factitatum nuper in Antiph. Ave Regina coelorum vidimus,  
et summopere laudavimus) atque etiam, ut ipso hymno tandem aliquan-  
do auctori suo reddito, in integrum restituto, universalis S.R.E. xri-  
20 te utatur, fruatur, quem totiens per annum devota decantare solet.  
Bene vale, et me licet ignotum ama.  
Lut. Parisiorum Prid. Id. Maias 1614.

Tuae Illustriss. et Reverendiss. dignitati

Observandiss. addictiss. obsequentissimus

25

Leo Lescotus Clanius Abbas à Claromonte

Regius in Parlamento Consiliarius, in Eccl. Paris.  
Canonicus.